quia caput cum corpore suo unus est xpistus. Tunc tamen solum caput ascendet, mediator dei et hominum homo xpistus ihesus ipse ascendit interpellare pro nobis. Veruntamen eum dum orat in excelso, nauicula turbatur in fluctibus in profundo. Quia insurgunt fluctus, potest nauicula turbari, sed quia xpistus orat non potest mergi. Nauiculam quippe illam ecclesiam cogitate, turbulentum mare hoc seculum. Cum vero aliquis impie voluntatis maxime potestatis persecutionem indicit ecclesie, qui tunc in ipso xpistianum nomen conatur extinguere, super nauiculam xpisti grandis unda consurgit. Et in huius temptationibus erigatur antempna et suspensa arbori crucis figuretur, hanc xpistianus suspitiat et non deficiat, quoniam sicut dicit apostolus petrus, xpistus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia eius. Dicit et alius testis eius: Sicut enim pro nobis animam posuit, sic et nos debemus debemus animas pro fratribus ponere. Huic ergo antempne id est cruci xpisti simplex conuersio et pura confessio tamquam candencia uela religantur, et hec uela inter fluctibus abluantur undique tundantur, ut sine macula et ruga inueniantur quantumlibet mare seuiat ventus incubat, et inter fluctus ac flatus nauis

turbetur tamen ne mergatur et currit donec fiet. Et postea quam edificata est nauis hec in litore atque inde in medio pelagi huius frementis emissa est, estuacionem voluit undarum et fluctuum, flabra ventorum dum iactando eam perdulsa transferebant, cum gentium litoribus appulerunt, per singulas urbes quocumque venit aduexit. Et tamen in peregrinum tamen in terra mea, quod per penitentiam remissionem peccatorum regnique celorum. Et tamen oportebat xpistum ait ipse dominus xpistum pati et resurgere a mortuis tercia die, et predicari in nomine eius penitenciam et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab ierusalem. Ab ipso enim portu nauis hec prima anchora soluit. Nam igitur ergo tantum nauiget hec dominica nauis inter procellas seculi xpisto protegente secura, xpisto docente sollicita. Non enim quia in naui nauclerus vigilat, ideo debet nauta dormire, vigilat ergo de quo dicitur scriptum est: Ecce non dormitabit neque dormitabit qui custodit israhel. Et ipse eciam nobis precepit dicens: Vigilate ergo et orate, ne intretis in temptationem. Sunt ergo debemus esse solliciti et valde securi. Solliciti quia dixit nobis quod in hoc mundo pressuram habetis, securi autem quia mox addidit: confidite, quia ego vici mundum. Solliciti quia temptationes subiectos prouocant nobis, securi quia non desunt interpellare pro nobis. Caute itaque fratres mei atque sollicite inter seculi fluctus